Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2001
Quelle:
Copyright:

Schierii Commentat. de Regia Budensi Bibliotheca.

DCCCXVII.

R. 3124 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 109. 4. per duas columnas priore parte elegantius scriptus, et rubricis distinctus ita in anteriore theca notatur: *Hunc libellum testatus est Monasterio sancte dorothee wienne dominus Erhardus grütsch de marichekg Confessor ad sanctum Jacobum.* Insunt vero I. lectae in adjumentum sacrorum Oratorum *Autoritates Patrum*, quas praecedit Elenchus docens, quaenam quibusvis Dominicis aut Festis per anni decursum usui esse possint, tum materiarum Index. Sunt vero Patres: *Dionysius, Hilarius, Chrysostomus, Beda, Isidorus, Augustinus, Symmachus, Cassiodorus, Haymo, Rabanus, Rabbi Mosse, Damascenus, Ambrosius, Origenes, Gregorius M., Bernhardus, Hieronymus, Anselmus, Hesychius, Adamantius*, quem mirere divisum ab *Origene*, uti et *Maimonidem* inter Doctores Christianos. Ad calcem adscripti sunt Lusus poetici in laudem cujusdam *Ludolfi Decani*, e quibus saltem Distichon istud retrogradum adscribi meretur:

Est decus ecclesiae Ludolfus, copia morum,
Semita virtutum, lux pia justitiae.

II. *fol.* 61. Sequitur *Opus super Miserere mei Deus.* Commentarium puta, cujus extrema in v. *Tunc imponent super altare* &c. exeunt in *Sermonem de Virginitate bonum*, numero tamen Capitum seu §§. procurrente, quorum etiam adtexta est *Tabula.* Autorem ignoro, nisi is sit *Udo* seu *Hugo de Vitonio* ex Ord. Praed. Cardinalis ✠ a. 1371. e quo *Quetifus Yvonem* seu *Evenum de Begaignon* T. I. p. 667. effingere conatur, quemque fide *Lusitani* et *Altamirae* in Psalmum *Miserere* scripsisse refert. Commentarius ceterum infit: *Miserere mei Deus* &c. *Septem sunt defectus impellentes homines ad querendam misericordiam dei. Primus defectus est fortune* &c.

DCCCXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 709 XIII. Folior. 285. f. max. per duas columnas minutius, sed nitide exaratus, coloribus illustratus et quondam donatus *Librarie Collegij ducalis* a M. *Petro Czech de Pulka* noto Theologo nostro, D. *Stephani* Canonico et Plebano in *Lausse*, sive *Lauchsee*, Pago hodie dicto *Lassee*, vastum Opus continet duplici Praefamine gaudens, quorum prius inscribitur: *Incipit prologus in opus subsequens*, et incipit: *Dilectis plurimum et diligendis semper in uisceribus ihesu christi uenerando clero romano et uiris scolasticis prophetarum filijs epulantibus in domo calui elysei pulmentum ex uase fictili. Petrus*